

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

LXXV. Maris Seruitus

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

tim illorum, qui postulantur perduellionis et convincuntur. His ne quidem parci-  
tur post mortem, sive ob exemplum, sive ob foeditatem delicti. Et Veneti iam o-  
lim existimarunt, recte in mortuos statui, quod dum viverent, merebantur. Si quis  
depeculatus rempublicam esset, si indicia reliquisset affectati dominatus, non tem-  
perant severitati, et cives deterrent exemplo. Indignus quippe humanitate, qui ho-  
minum violare ius, qui Principis exuere obsequium studuit. Fundere contra san-  
guinem in bello, et moliri exitium hosti, belli concessum iure est. Sopitur hostile  
odium, si caesus est, adversus quem iusta materia odii fuit. AEquissima haec genti-  
um populorumque sententia est, eoque ab ultima antiquitate recepta apud omnes,  
et saniori iudicio rationis innixa. Vnum cupimus, quod concedatur instituto. Vin-  
dicavimus antea securitatem sepulchris, vindicabimus in posterum. Fallunt vero  
qui peraeque existimant de iis, quae sepulchris imponuntur. Cippi, statuae, colu-  
mnas diversa lege censentur. Cedunt Principis, cedunt bellantium potestati. Ne-  
que hic dubitandi causa, nec difficilis ratio scrutantibus ius belli, Cuius reddere ini-  
tia, et prosequi singula momenta, nimis forte longum foret. Eligenda vero hic  
media inter caritatem et crudelitatem via. Nimis indulgere hosti, non expedit sem-  
per. Saeviro quoque execrabile est. Cohiberi ergo, furor, retineri severitas, adhi-  
beri prudentia debet. Quod in hostem, idem in res fortunasque hostis, et omnia  
eius licet. Imagines, tumuli, statuae, monumenta, et lapidum istae cinerumque  
moles ac sepulchrorum ornamenta universa revelli possunt atque removeri. Lege  
quidem id facere prohibentur privati, et poena violatoribus irrogatur. Princeps et  
supra privati sortem, et belli iure hic solutus lege est. Non repetam hic veteres ce-  
remonias, quibus et facere locum religiosum, et stabilire sepulchrorum ius volue-  
runt. Legi de hoc argumento scriptores prisca, legi post alios Polydorus Vergilius  
potest. Sufficit nobis omnium consensus gentium, quae et sanxit mortuis quietem,  
et constanti usu approbavit, et adeo sanxit mortuis quietem, et constanti usu ap-  
probavit, et adeo tandem apud posteros convaluit in legem.

## LXXV. MARIS SERVITVS.



Mplum Imperii nomen. Ad terram et mare ac insulas porrigitur.  
Flumina quoque, et fluminum sinus et littora universa compre-  
hendit.

§. II. Ac iam vetera illius imperii exempla, nec contro-  
versae minores. Vindicatum saepe mare, vindicata flumina, et u-  
ni attributa genti.

§. III. Memorandi hic Africae, Asiae, Europae populi. Notae horum su-  
per imperio maritimo lites: Megarensium cum Atheniensibus, Persarum cum Eu-  
ropaeis, Poenorum cum utrisque, praecipue cum Romanis.

LII III 2

§. IV. Nec

§. IV. Nec dum vero talium diffidiorum finis. Stilo subinde et gladio haec causa disceptatur, Sustinet Anglorum causam Seldenus, Batavorum H. Gronius, uterque scriptor suae gentis. Vellem stetisset pugna intra hos fines. Non tot iactatae opes, non tantum sanguinis fufum fuisset.

§. V. Adeo verum est, suos mari positos esse terminos, positos esse fines imperiorum iuxta atque dominiorum. Ut existimem, iam constare causam, cur territorium non terrae solum, sed maris etiam ratione censeatur. Habet enim ambitum mare, habet limites suos. His includitur, his indicatur. Egredi intutum, violare quaeque iniustum est. Supervacuum hic ire in exempla. Omnia ferme pervulgata. Afferit sibi Turca Hellepontium pelagus. Imperium mediterranei maris iam affectat. Afferit sibi Hispanus Tyrrhenum mare. Afferit Balthicum Danus. Britanni Britannicum, Veneti Adriaticum, Genuenses Ligusticum vindicant sibi.

§. VI. Nec sinunt Lusitani, ut aliter sentiamus. Applaudit titulus, eoque dignus est, qui scribatur in exemplum posteritatis. Sic enim iam olim, terror ille maris, et gloria, ut iactabatur, redeuntis aurei seculi. Emanuel Dei gratia Rex Portugalliae, et Algarbiorum, citra ultraque mare in Africa, Dominus Gvineae et Conqvistae, navigationis ac commercii Aethiopiae, Arabiae et Persiae, atque Indiae. P. Langius Chr. A. 1513.

§. VII. Etiam Republicae, quae nexu quodam superiori cuidam illigantur, flumina, quibus alluuntur ipsae, metiuntur hoc iure, vindicantque sibi in ea quaedam sive privilegii titulo, sive servitutis. Allego hic illud omnium sermone celebratum ius, quod vocant, restringendi, quo liberae Albis navigationi quasi injectum fraenum est. Non allegabo ius appulsus, non privilegia, quae appellant, geraniorum, certissima fluminum imperii aequae ac dominii iure censendorum argumenta. Nec refert, imperium simpliciter supremum sit, an nexu quodam beneficiario, et vinculo civili aestimatum. Possum recitare hic Coloniam Agrippinam, possem, si liberet, alias civitates multas.

§. IIX. Non valet recitare omnia, neque explicare hic, quid et quantum quisque sigillatim tribuat sibi. Dicimus tamen acquiri posse mare, dicimus posse occupari, atque adeo his limitibus terminari, quos proprietatis designat. Acquirendi autem illam occupandi que facultatem arcesso a concessione iuris Naturae, ac praeterea discerno imperium atque dominium maris. Ad vero non consentiens sibi utriusque vocis interpretatio occurrit. Sunt, qui satis habeant sic distinxisse, ut unum horum appellent ius in mare, alterum ius in mari. Nolim suscipere hanc causam, qui meminerim, imperium sola dirigendi disponendi que facultate, prout ea quidem in rebus morum se exerit, sustineri. Sed quis dabit, ut quod sub notione facultatis redditur iuxta atque concipitur, continuo iuris exquisita appellatione continetur? Diversa haec sunt, et suis quasi spatiis disparata, eoque minime omnium confundenda. Impingit hic Theodorus Grasvinkelius, idque non semel, et ea adeo ex causa iam doctissimis quoque notatus.

§. IX. Age vero expediam, quid inter imperium ac dominium interfit. Scriam edisseram. Illud continetur potestate ferendi leges, atque absolvitur adeo facultate regendae navigationis, quae patet iurisdictio maris. Hoc censetur quasi notione partis, eoque implet vicem instrumenti civilis. Non attinet referre de modo considerandi admodum dispari. Et iam tum per se constat, non eandem esse utriusque acquirendi facilitatem. Est Sisenna. Acquisiverit imperium maris. Multum abest, quo minus dicas, eadem opera dominium acquisivisse. Quod vel ipse Grotius agnovit, et multo disertius tradunt doctissimi ad eum commentatores.

§. X. Nondum satis instruximus hanc penum. Vertendi ad ultimam originem oculi, et arcessenda inde initia huius causae. Prima cura, ut ostendamus a primordio usque conditi mundi omnia descripta esse in eos fines, quibus hodie dominorum iura continentur pariter atque distinguuntur. Assere enim nunquam fuisse huiusmodi hominum cum hominibus societatem, quae steterit sine proprii iure, quae communia omnia cum omnibus habuisset, quae denique domini limitibus disparata non fuisset. Est iudicium rationis, omni tempore idem, nec fortasse diversum in vitae melioris statu, si perseverassemus. Suum quemque habere sibi oportere, suum dico, quatenus proprii iure descriptum, quatenus habendi finibus discretum. Approbant hoc instituta gentium, atque assensu excipiunt populi omnes, indignaturi, si inaudiant doctrinam primaevae communionis. Et movit tamen pro ea titulum Grotius, atque offendit eo ipso intelligentiores, et nominis sui alioquin perstudiosos. Sed quicquid eius sit, nulla ratione, nulla annalium fide, nec tandem ipsa Dei auctoritate hoc sustinetur. Nobis constituti domini fons multo altius fluit, id est, ex scaturigine praeepti diviniore. Gentium consensus inde accepit, non fecit, extulit, non produxit, verbo nil egit, quae originem primam metimur: saltem approbavit, ac certe propagavit diffuditque a populo ad populum, ad cives quoque veteris ac novi Orbis, denique ad omnes, qui vitam humanam colunt.

§. XI. Evolvamus historiam antiquam, ac videamus de Adamo satore humani generis, et Noacho instauratore collapsi. Uterque donationis divinae titulo imperium terrarum Orbis nacti, suos cuique filiorum terminos posuere, agros, dominia atque familias discrevere, ut docerent exemplo, quid factum vellet Deus, quidve recta ratio monstraret. Assignata Abeli pascua, et delegata pecorum cura, et vindicatum adeo peculium a pastoralis cultu. Caino fundos curaret, iniunctum. Praeterea agrum subigeret, ac faceret sementem. Veteres eum aut Saturni profugi, aut Neptuni nomine designarunt. Sed de hoc minime angimur. Sufficit annotasse primaevi exemplum proprii: Communionis certe nec vestigium occurrit. Verum haec terra finibus contineri hoc proprii ius videbatur. Sed iam manifestius se prodit post prodigium illud eluvionis factae Noachi aevo. Detectae insulae ac distributae, terrae et maris pariter imperia distincta, nihil denique usquam relictum, quod non includeretur limitibus certis, quod non circumscriberetur terminis separato-

ratorum dominiorum. Semo cessit quicquid ab Euphrate ad Indiam usque porrigitur. Chamo Africa, Iapheto Europae ditiones relictæ. Constat id ex monumentis sacris, constat ex consensu priscorum. Post illos ex recentioribus vid. doctissimus Johannes Strauchius in diss. de imp. maris cap. 1. cui in hoc argumento plurimum debet vir, cum viveret, diligentissimus Georgius Hornius in Arca Noë inprimis p. 20. et 35.

§. XII. Sic suis quæque spatiis terminata, et quantum ab ultima vetustatis memoria repetimus, iidem hominum, qui iuris proprii, natales fuerunt. Duo hic scopuli, eoque vitandi. Vnus, ne uni omnia; alter, ne omnibus omnia tribuamus. Hunc, opinor, præternavigamus secure: neque maius ab illo periculum impendet, qui sciamus, repugnare iuri universo imperium universe consideratum, sive terræ, sive maris respectu. Hispanis sæpe hic in turbido consilium fuit. Sed Dominicus Soto, Hispanus ipse in hac causa deseruit Hispanos, rationesque attulit non spernendas, et suspectæ illi invilæque gentibus dominationi refutandæ prorsus suffecturas. Ius divinum allegari non potest. Hoc definiuntur imperia et distinguuntur. Donatio Pontificis ne digna quidem est, ut referatur. Adeo inepta est et vanitatis plena. Recte iam olim Caribes ad Ancisum Hispanum pronunciarunt, miram sibi videri Pontificis liberalitatem, qui, quod suum non esset, largiretur. Gasp. Ensl. 3. cap. 9. Hist. Occid. Eodem sane animo, quo iam diu ante Fridericus AEnobarbus anilem fabulam interpretatus Pontificis donationem est. Vid. Monachus Nussienis Chron. A. 1153. Ut iam facile sit aestimare non dicam vanitatis, sed impiae ambitionis exemplum ab Alexandro VI. proditum, eoque Annalibus Bzovianis et Bullario, quod dicitur, Laertii Cherubini insertum. De iure naturæ nil addo. Satis quippe exploratum, in sanctissimo illius tribunali nil reperiri, quo fulciatur imperium universi orbis terrarum. Non homo, sed Deus est, qui regere omnes, qui tueri omnia possit. De gentium moribus scio, unam omnium sententiam fuisse, ut primævo proprii iuris decreto res accommodarentur humanæ, ut suas quisque fortunas haberent, finibusque discretis colerent mortales: nemo ex alieno viveret, nedum ex rapto: suis singuli essent contenti, sua sibi retinerent. Qui latius, quam par erat, profferrent se et ditiones suas, naturæ limites transcendere dicebantur. Ius Quiritium tantum abest, ut Romæ imperium ad omnes mundi regiones diffundat, ut quoque certis terminis concludat. Non est, ut adducam exempla. Adduxerunt ante me præstantissimi viri, Arthurus Duck de auth. iuris Rom. l. 2. cap. 1. post eum Rango, et alii multi. Eo conf. Conring. exercit. de Imp. Rom. Germ. prop. 11. Stirn. Nomothet. tit. 8. 2.

§. XIII. Sed longius ab instituto itinere discessimus. Redeamus ad mare. Afferamus porro imperium eius, quatenus sic affecti, ut certis includi finibus, et tribui in diversas dominiorum partes possit. Atque id indicio est, alienum hic esse imperium maris universi, quod qui uni vindicaret, inventus est nemo, qui saperet quidem, neque adeo impetu, sed ratione uteretur.

§. XIV.

§. XIV. Sed rem per capita disponamus. I. Sancitur praecepto Dei ius proprii, sancitur autoritate primi parentis, sancitur iussu Patriarchae Noachi. II. Si itaque retro eas ad originem rerum, Deum habebis, unde ordiaris in hac causa. = Is Adamum terrae marisque imperio donavit, ut iure proprii haberet, et filiis posterisque assignaret eodem proprii iure, atque adeo separatim et pro parte cuique debita habendum. III. Ex quo intelligas, ius proprii altius esse auspicandum, et quasi devocandum ex coelo. Multum ab huius antiquitate recedit divisio, et sic quidem recedit, ut ad ultima illa secula non aequè possit extendi. Senior quippe est et longo post tempore orta de mum, atque exulta. IV. Ingens hic et multis molesta disceptatio, utrum iure insito falciatur primaevum illud proprii ius? Si exquisita iubendi notione intelligatur, nil prohibet, cur negem. Hoc magis, si relinqvatur sibi, et secludatur a iure divinitus constituto. Est tamen proprii ius naturae et rationis iudicio convenientissimum, eoque sine dubio aliis nominibus ad ius naturae referendum. Praecipit quidem ius innatum, sed non semper, neque in praesens, quatenus finibus suis aestimatur. Concedit tamen facultatem describendi in eos fines, quas proprii ius meretur. Svadet insuper exerceri, quod concedit. Praeparat svadendi viam ratio naturalis ac efficaciter incitat, hortaturque, ut proprii ius constitutur. Geritur illi mos atque obtemperatur. Incipit familia iure proprii uti. Prosequitur ordinem Civitas et servat. Perficit denique gentium societas et consummat. Haecenus mero naturae iure res agitur. Conceditur proprii titulus et svadetur, non praecipitur, non iubetur. Sed iniectum isti libertati fraenum, ac lex de constituendis proprii finibus, a Deo ut libero legislatore dicta, eoque non praecepta innato iure. Hinc si fingas fuisse gentes, quae iure proprii non essent usae, directio non fecissent contra praecipiens ius naturae. Saltem per latus petiissent, convulsissentque ex obliquo, quatenus non obedivissent Deo, cuius obedientiam sanxit naturae ius. V. Iam, puto, constat, quemadmodum discerni oporteat propositiones, quarum quaedam rationis naturalis iudicio componuntur, quaedam iure insito praecipuntur. Vtraeque enim et dissimiles sunt maxime, et toto distant coelo. Est sane rationis naturalis, finiri terminis dominia, iuris tamen naturalis praecipientis omnium minime est. VI. Regulae quoque officiorum homini erga homines praestandorum non pertinent ad hoc argumentum. Vulgo, neque satis accurate, praecepta charitatis vocant. Illorum enim ratione sic quaedam communia sunt, ut fieri possint propria. Sic iure amicitiae atque titulo caritatis neminem arcebis, quo minus ignem ab igni tuo suscitet: neminem prohibebis, quo minus de aqua tua hauriat aquam, ac profluentis communem adeo habeat usum. Ex alio tamen capite, maxime quatenus imperii civilis id interest, constitui aliter, atque invehi contrarium potest. Quam sive mutationem, sive correctionem non recipit praecipiens naturae ius, praesertim simplici dictato fundatum, et nulli adeo morum circumstantiae innixum, quale est illud de colendo Deo, de vita honeste agenda, et de suo, quatenus suo,

suo, cuique tribuendo. VII. Trahit hic quaestio quaestionem, oriturque dubitatio post dubitationem. Sunt, qui sciscitentur, an salvo proprii iure, quatenus id morum ambitu comprehenditur, constitui ad eam formam communio dominiorum potuerit, qualem ostendunt Grotiani admiratores. Primo prima dominiorum origo contemplanda. Deinde vita innocens a peccato infecta per exquisite distingvenda. Tum secernenda capita eius, quod expedit, et quod simpliciter fieri potest, quamvis si ita fiat, non aequè utiliter fiat. Hinc dictatum iuris naturalis a iudicio rationis naturalis accurate discernendum. Mox videndum, utrum rei natura patiatur usus iurisve proprii communionem. Potest enim evenire usu, ut alius impediatur iure aliunde quaesito, quod alioqui aut per se licebat, aut in genere morum plane non poterat licere. His constitutis, facile rem decidunt, ac pronunciant adeo, non intendi a iure naturae communionem, multo minus svaderi: nec tamen contrario praecepto sanciri illud omnium sermone celebratum proprii ius, eoque intelligi, nihil simpliciter obtinuisse, quo minus proprii ius etiam durasset in communi-  
ne illa, quam fingunt, extitisse primaeva. Sed fuisset ita communis ius, fuisset communis dominii, ut morum respectu liciti, usus, quatenus nemo alium impedivisset, Caius ita sibi vindicasset, ut Titio idem reliquisset, uterque utrumque, omnes omnia ita communis habuissent, ut sibi idem, quod aliis ius, nec maius, nec minus in res communioni obnoxias attribuissent. Atque id difficilimum corruptiori aevo, imo nec possibile quidem, quatenus id ex certa conditione pendet, atque non nisi huius ratione mensuratur. Est sane homo peccati infectus labe, vitiati affectus ac subinde degeneres, nec idem semper melioris iudicii tenor. Saepè caligo subit, ac bona volentes alio defleat. Nullus paci, nullus tranquillitati locus relinquere-  
tur. Semper querimoniae, lites, bella alerentur ista communione. Verum enim vero, quid prodest inquirere, quid fieri mero naturae iure potuerit. Cogitemus, aut potius confirmemus, quid factum sit.

§. XV. Adhuc navigamus in mari. Fortasse non esset enavigandi spes, nisi Deus et natura certos illi terminos praefixissent. Littoribus includi, etiam vulgo notum. Selectissima finium argumenta praebent mensores maris. Pingunt lineas, ac certe non pingunt, sed animadvertunt. Recitat ex natura artis Seldenus *limitum* illos ductus, et verba familiaria nautis, versuras, coxas, gammata, acum nauticam, gradus coeli, circulos aequinoctialem, ac solstitiales illos, quibus designari mare, et comprehendi veluti limitibus potest. Ne dicam, castellis maritimis et classibus quasi compedibus vinciri mare, sicut longo gentium usu, ac ab ultimis usque tem-  
poribus recepto, ita iure imperii maris.

§. XVI. Sed ut magnum est mare ita, si attentius inspiciam, diversum, et iam interni, iam externi nomine appellatum. Vtrumque continetur imperii iure, et terminis circumscribitur suis. Alterum, quia terram interluit Principis, territo-  
rii finibus mensuratur: alterum quatenus possessore vacuum, cedit occupanti. Post-  
quam

quam occupatum est, imperii civilis iure descriptum censetur. Est mare: accolat Princeps occupetque. Erit Principis, quo occupavit, commoda, quae ex eo redundant, ad Principem redundabunt, reditus fisco principali inferuntur. Vna de Oceano, sive externo illo mari restat difficultas, quoad usque possit imperii finibus includi, imo quoad usque debeat. Ac primo habemus pro certo, unum non sufficere occupando integri Oceani Imperio. Inde colligamus, vindicari id gentibus pro ea parte, qua accolunt mare. Nisi aut cesserint suo iure, aut non utendo habuerint pro derelicto. Atqui vero hic distingvendae sunt mediae Oceani partes ab extremis, et quae propius absunt a terra. Has vindicari imperio, interest imperii securitatis. De illis non peraeque timendum, nec fortasse ad eas porrigendum imperium maris. Quod ratio cesser, propter quam in imperium redigantur. Nec periculum inde impendet, neque emolumentum speratur.

§. XVII. Imperii maritimi argumentum demissio velorum: onus, ut pro ea parte, qua possidetur, tutum praestetur mare, idque tunc maxime, cum naves appellunt ad portus. Illustre eius superiori anno exemplum. Redibat ex India Orientali classis Batavorum. Insidiabantur Angli, quaeerebant, ut interciperent. Inerabant in mari praefecti maris Montaguus, Penus et Allenius. Vnum classi in portu Bergensi perugium erat. Vid. descript. Belli Navalis Anglo Belg. A. 1669. Gallice edita. Quod spectat aplustria, moderabitur negotium Consul, qui sic appellatur. Multae ex eo capite lites, et saepe in cruenta praelia desinentes. Non ita pridem neglectus ille demissionis aplustrium in Batavam navem a Genuensibus vindicatus, et ut contemptus ratio a Consule reposceretur, ad Batavos perscriptum.

§. XIX. Quod de mari, idem de insulis fluminibusque iudicamus. Obtineri utrorumque imperium, obtineri dominium potest. Nec ratio hic deest, neque exempla rationi. Approbant id Reges, Principes, Reipublicae omnes.

§. XIX. Duo hic maxime observanda, ius naturae concedens, et potestas civilis. Illud non disponit, sed disponendi arbitrium relinquit. Facere et omittere, iuxta habet: neque imperat, neque impedit. Hoc rerum statu exerit se imperium civile, ac proprii ius pro libitu definit. Integrum illi relinquere commune, quod concessione iuris naturae commune est: integrum quoque, ascribere sibi. Ponere obicem potest, et remove. Cumque ita se habet ius naturae, relinquitur iudicium rationi naturali. Haec statuit, ut visum est ex publica utilitate. Inde regula ex prudentiae capite approbata, omne id iure imperii posse vindicari, quod iure naturae concedente commune est. Contra, quam dicendum foret, si iure praecipiente commune esset. Si enim ita esset, Principi non esset relictum, ut proprii ius libere definiret.

§. XX. Ac de insulis id confirmant longe gravissimi autores, Iohannes Gryphander, Cyprianus Regneri, Seldenus, Strypmannus. Neque secius id de fluminibus liquet. Afferunt in illa ius Principes, et habent. Causa a iurisdictione arces-

M m m m m m

fitur,



fiur, quae si terra contineretur solum, ad flumina non posset diffundi. Quod Principes, idem liberae Hansicaeque civitates vindicant sibi: De Patria mea testabitur diploma Karolinum, argumentum haud dubii iuris in flumina competentis. Tueri Albim, arcere piratas, capere atque et punire infestantes flumen, ac purgare a praedonibus mare, vetustissimo privilegio concessum. Recitat illud Lambecius, et eadem opera ius in Albim declarat confirmatque. Vid. rer. Hamburg. lib. 2. n. 54f. Quo conferas licet diplomata Friderici I. Imperatoris, et Comitis Adolphi III. apud eundem l. 1. rer. Hamb. p. 83. et l. 2. p. 6.

§. XXI. Vnum superat. Percensendi sunt autores, quorum aut vestigia secuti sumus, aut sequi potuissemus. Horum alii controverserunt, ut Seldenus, Grotius, Boxhornius, Grasvinkelius, Iul. Pacius. Alii disserunt, ut Iacobus Godofredi, Ioh. Strauchius, Loeccenius, Morisottus, Strymannus, Martinus Schoockius. Neque omittendus vir in hoc argumento vindicando egregius Diana. Ut non referam de Thoma Rivio, Ioh. Isaac. Pantano, aliis multis, praesertim iis, qui aut explicare, aut vindicare, aut fore etiam refutare Grotium sunt aggressi.

§. XXII. Pervenio ad finem, et eadem opera ad pietatem. Convertor ad Imperium Romanum, matrem atque sedem nostrae gentis. Nil illi haecenus deest, nisi potentia maris, atque usus navigiorum. Galli, Angli, Batavi certatim incumbunt in hanc curam. Asciscunt peritos maris, aedificant classes, et ducunt in mare. Sola Germania nostra hanc gloriam non affectat, sive fato quodam, sive iniquiori loco. Nec heri demum aut nudius tertius illa prudentium querela fuit. Nunquam Carolus M. penetravit ad ultimum usque Septentrionem, Nec id mirum. Caruit potentia navali, caruerunt Successores. Ottonis M. victoriae raro ad mare progressae: Cursus ille trophaeorum intra terrae ac littorum fines stetit. Haec et talia cum ita sint, intelligis mea Germania, tu illa gentium victrix, quantum interfit tuae dignitatis, florere Hansicas civitates, crescere atque exurgere indies illarum ocellum, civitatem Hamburgensem patriam dulcissimam, et commerciiis maritimis iam olim summum decus adeptam.

§. XXIII. Adeo verum est et diuturno gentium consensu creditum haecenus, praecipuam potentiae palmam in mari, insulis, fluminibus sitam esse. Non ex vano olim censuit Pompeius, rerum potiri, qui mare teneat. Henrico IX. Regi Angliae tot natae a mari opes, tantae classibus comparatae vires sunt, ut ferme affirmaret, sociasse se Angliam et imperium Orbis. Vox gloriosa nimis, et fortasse supra ipsos fines mortalitatis. Cui adhaereo, praest. De Carthagine Diodorus Siculus, de Athenis Isocrates, de caeteris Strabo, Halicarnasseus, Cornelius Nepos testabuntur. Nemini id magis cognitum perspectamque fuit, quam Karolo V. invictissimo quondam imperatori. Is postquam fortunam Hispanorum altius expendebat, Philippum monuit, potentia maris fuleiret Hispanorum opes augetetque. Ni faceret, amissurum quoque illa, quae tradita ab se accepisset. Fidem dicto faciet

Scri.

Scribanius, vir prudens, et hanc viam non sine laudis vestigio emensus. Supervacuum de aliis referre. Passim obvia Campanellae et similium consilia.

§. XXIV. Nil suppetit, quod addamus. Si non omnia diximus, certe aestimavimus, quid possit dici. Reliqua publice nota sunt, ac gentium legibus asserta. De Italia auctor Caepolla est, in insulas flumina, ripas iure imperii contineri. De Gallis Hispanisque idem exploratissimum est. Lusitani, Dani, Svedi, Poloni, Molchi, Veneti, Genuenses, Batavi veteres illi ac recentes iisdem finibus fluvios suos insulasque metiuntur. Quod de Imperio Romano recitat Seldenus, non hausit ex intimiori Reipublicae Germanicae statu, l. I. cap. XXI. mar. Claus. Derogat fere Ordinum Privilegiis, derogat territoriorum potestati. Sunt sua Caesari iura, sed iis limitibus includenda, quos praefigunt imperii leges. Ad vetustissimas illas Graecorum Respublicas redire, nec tempori, nec destinatis nostris opportunum. Speculi vice fungetur Seldenus. His addere licet Iul. Pacii, Iac. Godofredi, Martini Schockii dissertationes.

## LXXVI. VENETVM REGIMEN.

**N**itium Venetiarum tenue fuit. (a) Incrementa amplissima, successus plane singularis, et stupendus posteritati est.

(a) *Primum fundata circa Rivum altum est. Hinc celebris V. V. Scriptoribus Origo Rivalina, tanquam primus natalium Urbis Character. Quamquam vero initia Urbis parva, Conditores tamen et Habitatores illustres fuerunt. Recte Blondus in descript. Urb. Ven. Civitas Veneta, inquit, non a Pastoribus, sicut Roma, sed a Potentioribus ditioribusque regionis olim a principio habitata, Atque id satis ex Cassiodoro innotescit. Caeterum condita Urbs ante Aetiliae adventum est. Ad stipulatur Sabellicus. Dissentiant vulgo, Itali ipsimet. Conf. Francisc. Bernard. Agripp. Min. p. 319. Vnum addo de ratione Vocis. Notione numerandi singulari totus maris Adriatici tractus designatur. Notione et, quas alioqui ad denotanda plura imposita rebus est, Urbs sola signatur.*

§. II. Civitas sine muris, sine portis: palis et paludibus (b) innixa: sita in mediis undis, undarum non timet fluctus.

(b) *Nempelacuna atque aestuaria Adriatici maris veme asylum libertatis facta. Ordinantium hoc Factorum opus, non hominum tantum.*

§. III. Italiam perhibent Europae Centrum, (c) quorum labor in pulvere est. Ego Venetias non Centrum Italiae, sed oculum, Italarumque delicias dixerim.

(c) *Manviglia Herm. Coel. p. 162.*

§. IV. Primordia Venetiarum eadem, quae Erphordiae, traduntur. Huc allegantur Thuringici annales, superioribus temporibus editi. Assentitur Petrus Lindebergius, (d) ille Ranzovianae laudis praeco. De origine equevidem Venetiarum non magna superest dubitatio, (e) De Erphordia certe maxima,

M m m m m 2

(d) *Id*